

RECENSIONES

VESZELOVSKY ALBINUS VLADIMIRUS, *De concelebratione eucharistica*. 266 et XI pp. 1950. Washington, The Catholic University of America Press. Studies in sacred Theology. Second series, n° 42 (microcard).

Dissertatio ista a confratre nostro hungarico conscripta fuit ad obtinendam Lauream doctoralem in Theologia. Magna cum cura confecta est et varias quaestiones quae relate ad concelebrationem eucharisticam potissimum in parte « occidentalibus » Ecclesiae Romanae poni debent ac solent clare et perspicue proponit et solvit. Vere nova in hac dissertatione quaeri non debent. Talis non fuit scopus Auctoris. Potius conspectus generalis intendebatur; et hoc ad felicem exitum perductum fuisse, plane declaramus. Conspectum summarium Dissertationis addimus. Tractatio in duas magnas partes divisa est. *In parte prima, historica*, (pp. 1-78), ostenditur qua ratione concelebratio terminus evolutionis cujusdam quasi naturalis ritus Missae dici queat. Exstat in liturgia ecclesiastica, inde a primis temporibus, principium quoddam sensum evolutionis liturgiae dirigens; porro, juxta hoc principium, in celebrationibus liturgicis unusquisque exercere debet, et quidem plene et perfecte, functionem quae ipsi convenit secundum gradum hierarchicum quem in Ecclesia occupat. Exinde conclusio deducebatur concelebrationem inde ab antiquis Ecclesiae temporibus in usu fuisse. Inquisitio vero magis accurata ostendit concelebrationem illam antiquam non fuisse nisi mere caeremonialem. Saeculo tantum octavo incipiente, in sacramentalem concelebrationem immutata est. Usus hodiernus Ecclesiae Latinae per Codicem Juris Canonici regitur; ibique concelebrationi eucharisticae, etsi sub forma restrictiva, plena legitimitas tribuitur. Qua legitimitate radicali in tuto posita, extensio vel restrictio ritus est mera quaestio disciplinae pastoralis auctoritati ecclesiasticae supremae subjecta.

Sequitur deinde pars altera (pp. 79-266), *explicationem theologicam* concelebrationis proponens et evolvens. Scholastici inde ab Innocentio III explicationes proposuerunt. Quae explicationes tamen in varias vias inierunt. Dubio non vacat quemlibet consecrantium vere consecrare si omnes simul verba consecratoria pronuntiant. Siquidem, omnibus ad consecrationem necessariis positis, nemo impedire potest, quominus ipsa consecratio sequatur. Omnibusque ac singulis verba simul proferentibus, nullius actio actionem alterius ligat, adeoque omnes vere consecrant. Quamvis vero unusquisque, quantum in se est, consecret et sacrificet, una tamen est consecratio et unum sacrificium omnium, quia Christus, principalis consecrans et offerens unus est, utens pluribus instrumentis ad unum eundemque effectum indivisibilem producendum. Ulterius, quamvis missa talis sit una tantum, omnes tamen concelebrantes ad propriam intentionem, utut differentem, applicare valent. Unusquisque enim operatur veluti causa, a qua totus effectus ita adaequate procedit, acsi solus celebraret. Ideo Missa talis adaequate est singulorum concelebrantium et quilibet concelebrans, secundum suum iudicium quoad applicationem decernere valet. Facile exinde sequitur unumquemque concelebrantem pro sua applicatione etiam stipendium solitum accipere posse.

In sectione theologica praeterea examinat Auctor quomodo concelebratio illa dogmatice justificari possit; causalitatem sacramentorum accurate ad hunc finem exponens. Parallelismus etiam ducitur inter concelebrationem eucharisticam et simultaneam administrationem aliorum sacramentorum.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.